Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2117
Quelle:
Copyright:

in jam tertium recurrente) *nec diuturnitas temporum abolere ualuit. Quo minus admoneam quos magis diligam.* Sequuntur itaque Monita de Contemtu rerum terrenarum, de Lectione et Meditatione Scripturarum, de vera Sapientia, de Officiis Sacerdotum et Praelatorum, de Dei et Animae cognitione et de quatuor Virtutibus, quas *Cardinales* adpellant, *Augustino* et *Isidoro* in testimonium vocatis. Tandem sic concluditur Epistola: *Heu pro dolor quod de mysterio crucis nonnulla prelibare gestiens sed uolatilis epi epistola* (legendumne *episcopi epistola?* an vocem *epistola* bis exorsus est Librarius?) *exire conpulit. Nunc rogo ut diligenter et morose relegatis quod cita occupatio nec incorrecta perfectio auulsit. Noli hinc recedere fili usque dum incboatum opus peragas quia ualde nunc surgere indigent qui tam longo tempore addicti et prostrati sub infructuosa uite fuerunt. Ualete uernantes. florete pollentes. uigete letantes. gaudete felices filii mei et fratres karissimi ac desiderantissimi. amen.* Ut de *anonyma* hac *Epistola* sensum meum promam, ex dictis videor mihi colligere posse, eam a quodam *Alcuini* amico scriptam, qui aut *Carolum M.* an. 791. aut filium ejus *Pipinum* an. 796. ad Bellum adversus *Hunnos* fuerit comitatus, atque is, ni fallor, *Arno* est primus *Juvaviensium* Archiepiscopus, quem *Alcuinus* in datis pluribus ad eum literis *Aquilam* (ab *Aar* germanico, Arno) *Transalpinam, per Alpes volantem, per campos currentem* &c. adpellat.

II. *fol.* 6. absque Inscriptione ulla Tractatus ille, quem inter *Alcuini* dubia T. II. P. V. p. 418. edidit Cels. *Frobenius S. Emmerami* Abbas titulo *Disputationis Puerorum per Interrogationes et Responsiones.* Adi ejus *Monitum praevium*, cujus rationes pro *Alcuino* militantes *Codex* noster confirmat. Incipit ille, ut ibi, ἀκεφαλως: *Et quia humana fragilitas nec audet nec potest* &c. In Cap. IV. *de decem Dei nominibus* sub initium hiatus, qui est, e Nostro subpletur ita: *deus uocetur. qui est spiritus omnium spirituum? R. In scripturis etenim sacris.* In Cap. VIII. *de Nouo Testamento* Noster omittit omnia, quae in Editis de Auctoribus novi Testamenti leguntur ab iis verbis: *Actus Apostolorum et Apocalipsis*, usque ad ea: *Preter hec alia uolumina apocrifa nuncupantur*, et iterum ab his verbis: *nulla est in eis canonica auctoritas*, usque ad finem. Neque C. X. *de Missa* nobis integrum est, et C. XI. *de Fide* his verbis deficit: *quem galatides sibi pro signo constituerunt.* Lectio ceterum proba est, et quamvis quaedam desint, quae in Editis habentur, tamen etiam in his desideratur expositio *Communionis Sanctorum*, quae in Nostro sic sonat: *Id est, ut cum illis sanctis qui in hac quam suscepimus fide de presenti seculo ad deum migrauerunt societatem et spei communionemque habere credamus.*